
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [1]

IN

SATYRAM

ET

SERMONES

Hermophili Tanugrienſis

breviores

NOTAE

ET

CASTIGATIONES.

AVCTORE A. V.



CASTALII.

Anno M. DC. XXXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

HERMOPHILO TANVGRIENSI VIRO

in his, quæ ad ipſũ non ſpectant,
ACVTISSIMO
& lingua verbiſq; alienis longe
DISERTISSIMO:

Quicum vaſtiſſimum animum diu intra privatæ vitæ cancellos continuiſſet docendi munus, cui ſuſtinendo imparẽ ſe ipſe judicabat, & operoſe ambivit, & feliciter inpetravit; qui corruptos mores, quibus ipſe haud mediocriter erat inquinatus, ſtyli ſui acumine, & non minore audacia perfodit.

MONIMENTVM HOC
Perennitati Sacrum POSS.
S.P.Q. Caſtalienſis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

LEGE, ET DISCE
HERMOPHILE

Honeſte vivere,
Alterum non lædere,
Suum cuiq; tribuere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

POPVLO
ACADEMICO.

Salvete Amici. Hermophilum, magnum illud, ſi Dijs placet, eruditionis nomen, in ſcenam adduco. Nemo audaciam meam vel temeritatem accuſet. nolo judicem, ipſum Iudicem fero. ſæculi hujus omnes, ni fallor, morem noſtis; quo, qui jnduſtriam ſuam nobilitare vult, ſatyram ſcribit. nobile equidẽ illud ac divinum, etiam me judice, ſtudium, ſi à ratione procedat. ubj aùtem ambitio mentem præcepit, ipſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

auctorem ſua illudit inſania. Hæc utramque ætatē opprimit, & cum voluptate quã-dam in perniciem rapit. præſertim verò, quòtiescunque ſcortum hoc virtutis larvam induit, & alienâ pudicitiâ probat ſuàm. non lõgo vos ſermone detinebo. breviter, qùæ volo, dicam; ſine irâ ac odio, quorum caùſas procul habeo. quippe odio falſum crimen impotentiæ; malignitati falſa ſpecies veritatis ineſt. Hermophilus noſter, Iuvenis & adhuc ab Academiæ incude recens, his diebus in corruptam, ut præfert, Adoleſcentiam Satyricum ſtrinxit dentem: peſſimo medius fidius ex-

exemplo; quo jam plerique, dum ad decus ac famam properant, cruda ſua ſtudia in lucem propellunt. digna hoc ævo vox, *nil admirari*, omnia moliri atque audere. quod cōpendium ferè omnes ad ſcientiæ Exiſtimationem hodie arbitrantur. is nunc morbus popularis factus eſt. Eia videte, & fidem meam liberabitis. oratio turgida ac aliena, ſententiæ vagæ, vanus rerum tumor: & quod caput rei eſt, ſola ſpurcities quandoque utramque paginam facit. omnia quaſi eodem cibo paſta in turpitudinem abeunt. qui inter hæc nutritur, num magis ſapere poteſt, quam bene

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

olere, qui in culinâ habitat? ſcientiam omninò ille excludat neceſſe eſt, qui non prius laſciviam excluſit. Muſæ omnes virgines ſunt. Apollo caſtitatis ac temperantiæ præſes, Charites ſobriæ ac pudicæ: Venerem impuram ac Bacchum in Rempublicam ſuam non admittunt. Equidem niſi pertinaciter ab omni pharmaco abhorreat, betam purgatricem, & ellebori imprimis uſùm illi ſuadeam, quo noxius per alvum humor diſſolvatur; adeo mihi totus Satyrion bibiſſe videtur. Galenum autem ſi audiat, Cucurbitulâ ſuæ vertigini conſulet, cum quâ jamdudum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

dum miſerè conflictatus eſt. niſi quod Hippocrates humerariam venam incidendam putet. ſed hoc, quia periculo non caret, & haud raro ſynceras lædit partes, Hermophilo meo vix imponam. aſſes ſi hic decem pro conſilio merear, quis me veſtrum culpet Commilitones; nam & unus ego ex medicorum filijs ſum, qui gratis equidem nihil, quod ſciam, facere ſolent. peculiũ hoc quaſi caſtrenſe nuncupant Iuris conſulti, quod dum Iure Quiritium durus pater ſibi vindicare non poſſit, lubens illi remitto. prę-terquam etiam, quod ſeorſim aliam ſibi rempublicam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

Plato quidam Ariſtonis filius, fabricavit. ibi nihil *tuum* aut *meum* perhiberi : ibi quoq; , quod magis ad rem facit, omnia in vulgus communia eſſe, conjuges, uxores, liberi; ac in furno eadem que lacu, res agitari ſine crimine aut notâ: illic Philoſophi ludere, Iuvenes prurire, pueri inſolentiis immergi, fæda omnes muliebris patientiæ ſcorta, quorum ne ſpiritus purus eſt. Et quis, obſecro, dubitet peſtilens hoc ſidus vicinâ contagione Hermophilum noſtrum inceſſiſſe, nimirum hoc quidam ab omni ævo ſapientiæ Antiſtites vex illum tulere. nec intra majores

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

jores hæc ſtat inſania: etiam ad noſtrum tempus proceſſit. At Dii quidem omnes ac Cælites illos malè perdant, qui tot modis veterem Philoſophiam corrupere. quam, ſi poteſt quiſquam vel depictam alibi oſtendat. profectò excelſa ea & ſevera diva eſt, quam illi ne de facie quidem noverunt. teſtor ego vos, qui bonam amatis mentem: volvite ac evolvite Hermophili ſchedas; &, ſi quidquã alibi ſe obtulerit ingenui ſaporis, cauſâ cadã. Sycophantas autẽ hic & vitæ per ditæ homines non tango. illi facile, ut credo, dũ eaſdẽ delicias ſectantur tãto patrocinio ſubnixi lineam adverſus me poſ-
cent,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

nimirũ hos ego, quod rerũ punctũ eſt, non irâ, ſed riſu ulciſcar: & volentibus magnis Dîs omne pro me ſtabit ęquum. Cæterum, ſi quis non provocatum hæc me ſcribere cenſuerit, injuriam faciet ſimplicitati meæ. novi equidem quam magnum vitium ſit inepta curioſitas, & non ferendum in ſtatu politico malum. virus etiam ac calumnias, qui mos nuper adeò literas inquinare cæpit, ſemper execratus ſum: atq; ita, quod rariſſimum eſt hâc ætate, muſas habui, vt nec vnquàm pretio proſtarent, neq; os cuiquam aut exiſtimationem detererẽt. læſus tamen, quod fate-

fateor non ſum, ne error vobis offundatur. in Amicos meos ac familiares incurrunt pleni irreverentiâ ſermones, quos cum hactenus fidi amoris teſtes habuerim, mirum nemini videri debet, quam iniuriam ſine cauſâ illatam patienter ferre non poſſum, eandem legitimâ ratione vindicatũ eam. quippe cum vel infimi cujusq́ ex plebe læſam exiſtimationẽ tã ſeverè vindicent Iuris autores. horum ego nunc vices ſuppleo. ipſi ſe aliquando, ſi neceſſe fuerit, prodent, ſed & procacitas eius ac inſolentia me provocant, turpes fætus inpotentis animi. quin enim hæc teneros ani-

moſalliciant magis ad dam-
nata mala, quam ſiſtant; ne-
mo non viderit Eruditus.
præſertim verò, dum tali
Auctore peccant, quem &
ipſum jampridem his vitijs
plenum fuiſſe ſciunt, & ne
nunc exuerit adultus, tali
documēto ad exempla pro-
clives facile dubitant. ſic qui
facit, næ ille ſe inutilis diſci-
plinæ magiſtrū circumfert.
efficaciſſima enim docendi
ratio eſt, vivere uti pręcipis.
& hoc præcipuum ad aucto-
ritatem compendium eſt.
non fallam vos precario:
neq́ utiq́ hæc obſcura ſunt,
ſed in oculos incurrunt. ip-
ſe, utî perſuaſum habeo,
Hermophilus & vera hæc
fate-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

fatebitur, & culpanda eſſe haud negabit. certe niſi pertinaciter cæcutiât, invitum etiam notæ ſequentes docebunt. quas, vt potui commodiſſime rudi calamo perſtrinxi. curam enim exactiorem non permiſit feſtinandi ſtudium, ne inultas calumnias mora aleret: quàrum quum velociſſimus ſit curſus vtcunq́ proximè ſequaris, vix tamen apprehendas. valete & iudicate.

PRAEFATIO *ad Acad. Curatores)* Odioſa eſt, ſi neſcis Hermophile Circēſibus pompa. ubi animus tibi, ubi mens? Scilicet viri hi tres nō minus eruditione ac probitate, quā generis nobilitate

conſpicui, publicis præterea negotiis quotidie occupati, hac inſuper cura onerandi fuerunt, vt quæ turpiſſime in chartam conjeceras, iis ipſi ſuam ſollicitudinem impertirentur? Vide ne te fanatica molitio abſumat.

Quin autem iuvenis adhuc, & juveniles, vt ais, errores taxans, iuveni etiam alicui obtuliſti? profectò illud ad famam tuam & exiſtimationem, ſi quid iudico, multo ſatius fuiſſet. Sed hoc leve.

Pag 6 PRAEFAT, *l.* 11. *Imo Thetys*) quid ita paratragædari libet? antiquos Philoſophos, Magiſtros tuos imitari videris, quibus hoc in

in more erat, temporis ſui homines liberaliter prædicare, quandiu ea ſtatuerent, quæ ipſis viderentur: ſi quid inde diſceſſiſſent; damnatum ibant. Nempe ut Caſcellius olim conſultus an nux pinea pomum eſſet, ſi in vatinium, inquit, miſſurus es, pomum eſt. Ita ſæculum tibi hoc aliquando virtutis amans erit, ſi te publice ſuſpexerit: nunc, ubi vultũ averrit, actũ eſt ilicet. periit.

*Pag.*7. PRAEFAT. *lin.* 8. *Neque flagitium credunt Scortari, &c.*) Diàlectice! ex fide, ſanumne tibi ſinciput eſt? ea, quæ ſpecialibus terminis vix includi poſſunt, tu ad univerſalem deduces?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

bone Avenroes, quo ſeculo vivimus!

Idid Pag. 9. ad publicam profeſſionem] hæc eſt quæ venã tuam, ſive animam inflat, ut folles fabriles anima.

Pag. 9 PRAEF. *lin.* 1. *quæ nec Capiunt*] non eſt periculũ, Hermophile. Cave hoc exiſtimes.

Ibid. Pag. 10. *lin. ultima. Quando noxam commiſimus imperio compellentis*) falſum eſt. quippe ſervus, ſi jubente domino, in re familiari peccaverit, omni haud dubiè crimini exemptus erit. mera enim illum voluntas liberat. hæc œconomica ſunt. ad Ariſtotelem provoco.

Pag PRAEF. 11. *lin.* 15.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

Ac petulanti Splene Sonare cachinnos.) quæ hæc petulantia lienis? quis tumor! Jupiter certè, ſi nunc rideat, metuo ne rupto ejus ſplene, fractus labatur orbis. ſed extra paganiſmum ſumus. Salva res eſt.

PRAEF *pag.* 12. *l.* 2. *Neque Ianus patulcius*) hic tropus in ſcriptis tuis valde familiaris eſt. an quia idem nomen pater indidit? optimè. delecteris tantiſper pergo.

Ibid lin. 16. *turpitudinem defigo*) tanquam novus Ariſtarchus obelo ſive veru-cula.

Pag. 13. PRAEF. *lin.* 16. *qui accuſationem mei.*) Ex A-

 pulcy

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

puleij Apologia hæc deſumta ſunt, Hermophile. Locus eſt circa initium. Non monerē hoc, niſi ſexcenta eiuſcemodi plagia in ſcriptis tuis animadverterem. Videtur Apuleiaſinus, ex ſententia Pythagorica, in te migraſſe. Abi.

PRAEF. *pag* 14. *lin.* 12. *meam continentiam*) cujus ſpecimen dediſti nuper in clariſſimorum hominū convivio; cum evomuiſ. Sed contineo meo. Apage.

Pag. 1. *Satyricon*) Satyra unde dicta ſit certant Grammatici. Acron commentariis in Q. H. F. Sermonum libros teſtatur, Satyram dici lancis genus tractū à choro

Liberi

Liberi Patris; qui eſt mini-ſter vini & epularum. Tua certe, Hermophile, præter Bacchum Patrem, præter crudas epulas nihil bonæ frugis aut mentis ſpirat. Alij, eodem teſte, Satyram ita nuncupatam volũt, quod vitia & ſcelera humana tantâ cum libertate proſcindat, vt ſaturi & ebrii ſolent. *Vini enim paſſio*, ut loquitur Planciades Mythol, lib. 11, *liberas & apertas mentes facit.* Tuam, certe, Hermophile, homo temulentus & Mero & Mando non tam videtur ſcripſiſſe, quam evomuiſſe. Sunt etiam, qui Satyram appellatam contendunt à Satyris Diis petulantibus &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

protervis. De iſto dubitem, hoc ſcio. Tuam, Hermophile, à Satyro, id eſt, impuro, libidinoſo, & ſalaci eſſe profectam: in qua Veneri, Cupidini, & rigido hortorum cuſtodi Priapo, magnis Diis, non ſine tintigine litaſti.

Ibid. *Hermophili*) Hermen ſive Mercurium & lucro & eloquentiæ pagani præpoſuere. Eloquentiam, ſcio, amas, ſed cœco impetu, non robuſtam aut maſculam, ſed effæminatam illam, quæ ſine nervis, & Aſiaticam, De lucro cur negem? dum præmium & pretium â publica liberaliate expectas. Ita etiam plures alij

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

corruptis moribus non medicas adferunt, ſed mendicas manus. Duplex autem lucrum, alterum *quæſitum*, alterum *oblatum*, quomodo appellat T. Livius lib. xxv, idque peculiari nomine ἑρμαῖον à Mercurii nomine, cujus in eo divinam vim excellere putabant, vocant Græculi. Quod ſi capere non potes, conſule Theodorum Marcilium, eloquentiæ Profeſſorem Regium, in Satyr. 11. Perſii, pluribus diſſerentem. Votum tantum ſuperaddo Scribe porro Hermophile, & faveat tibi Deus Lucrius.

Ibid. *Libere eloquar*] non libertas eſt, ſed Licentia bonorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

norum famæ & Academiæ noſtræ dignitati illudere.

Ibid, *Quiquis nomen*, & paullo poſt, *pag. 2 lin 5. Patriam ſi quis*) Quid aut quare diſſimulem! Ex Euphormionis Luſinini ſive Joannis Barclaii Satyrico, hoc quidquid eſt, elegantiarum compilaſti. Vtinam cætera tua omnia ad eius eloquentiam, eruditionem, candorē, modeſtiam, ſidem. Sed ſero ſapiùnt Phryges.

Pag. 2. lin. ult. Poſteriorum memoriæ relinquam) mihi crede, Hermophile, non diurnabit tuum hoc ſcriptum Quæ enim ad æternitatem condiuntnr, illa piperato ſale ingenii, ut loquitur

alibi Sidonius, non adſpar-
guntur.

Pag. 6. lin. 11. *Statutam majorum placitis conſuetudinem*;

Item pag. 7. lin. 8. *latam conſuetudinem*) lepidum caput! ποῖον δε ἔπος φυγεν ἕρκος ὀδόντων; quis unquam Iuriſconſultorum conſuetudinẽ ferri aut ſtatui dixit? nemo præter te hercle induci voluit Iulianus in *l.* 23. *de quibus ff. de leg.* & hoc verum eſt. Equidem ad legis, quod fateor, poteſtatem aliqua ſuperioris auctoritas neceſſaria eſt, ad hanc nulla, facit *C. de conſtit. in* 6; ſed vel ex uno alterove actu, qui in notitiam omnium perve-

nerit, efficaciter colligi poteſt: quippe cum nihil hic ſpectetur, quam pura communis judicii voluntatiſque ſignificatio, *d. l.* 32. *ff. eod.* quod & interceſſio contradictorio judicio obtinebit, reſcribente ita Alexandro in *l. præſes provinciæ* 1. *cod. quæ ſit long. conſuet.* Clarius Vlpianus in *l.* 33. *ff de leg* diuturna, inquit, conſuetudo pro jure & lege, in his, quæ non ex ſcripto deſcendunt, obſervari ſolet. Idem Trebatius alibi, idem Hermogenianus in *l.* 35. *ſed & ea ff. eod.* Videsne, quantum hic ſit crimen, Hermophile? Scilicet non ſatis in barbariem imus, niſi & tu manum

addas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

addas. Scotum tuum conſu-
le, aut Thomam, & eorum
vocabulis in poſterum ute-
re. non recipit egeſtas ani-
mi tui tantam juris majeſta-
tem, tam gravem, tam ſeve-
ram. erectum ea magis, ma-
giſque exultum deſiderat,
itaque te ſi me audis, aut ex-
erce melius, aut deſine ita
literarum ſanctimoniã pro-
ſtituere.

Pag. 7. *lin.* 17. *inſonti in-
ſcitia*) Quam ineptus es
Hermophile? Etiam in vul-
gatiſsimis puer, & in fami-
liariſſimis hoſpes.

Pag. 9. *lin.* 2. *Cui nunc face-
re decreverant*) Quid facere
decreverant? voculam omi-
ſiſti. illam repone. Tam male

enim egiſti cum Criticis, ut poſt ſæculum, ſi Diis placet, huic reſtituendæ non ſint futuri.

Pag. 13. *lin.* 10. *peſtilenti fumorum flumine*) fumus & nugæ meræ. Quis unquam aut fumo flumen, aut flumini fumum adſcripſit.

Delphinem ſylvis appingis, fluctibus aprum.

Pag. 15. *lin.* 5. *Haud ſecus quam iratus Iuppiter*) Diſertiſſimus Rhetor ille, cui ultimum Sermonem tuum inſcribis, tranſlationis vitium ait eſſe, ſi ad rerum humiliũ illuſtrationẽ ſumamus tranſlationem nimis magnam. Fulmen & ſcintilla gladio leviter excuſſa quantum diſtant?

ſtant? toto cœlo. Exemplum tuum ſequi ſi velim, crepitum ventris Tonitru, & te, quia in hoc ſcripto leviter deliras, Meletidi fatuo qui apud catos Athenienſes natus eſt, rectiſſime adſimilavero.

Pag. 21. *lin.* 13. *in medio. atque ideo tacitus &c.*) ἰδοὺ ῥόδος, ἰδοὺ πέδημα. liberaliter paſſim Hermophile, in juvenilem ætatem declamas; nullo loco juſtius. Bellerophontis arbitror morbum noſti. is nunc popularis factus eſt. hominis occurſum metuit, ut quiſque ſapientiam à limine aſpexit: qui ſi aliquando in publicum prodit, putat ſe in alium terra-

rum orbem delatum. adeò quidem rari doctrina ac lectione ſevera inducuntur. quæ autem mediusfidius ambitio eſt, ſi hæc non eſt dicenda? abripit hæc miſere Adoleſcentum animos, & quod peſſimum eſt, plærunque eam præoccupat opinio. quæ ubi ſedem habent, nunquam illic in Excelſum aſſurget induſtria. quippe nemo libidini ſuæ ſimul, & rationi paruit. Sapit ſoli ſibi, qui domi pertinaciter deſidet: & quia ad fontes literarum admitti durum eſt, planè, ut Canes in Ægypto, quandoque bibit & fugit. numerus hic, ut patet, longè maximus eſt: quorum tamē plu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

plurimi ſolo exemplo peccant, & neceſſe putant cum inſanientibus furere. profecto ita patrum noſtrorum memoria non fuit. Equidem tum juvenes ingenua lege proficere, & quo ſapientiæ præceptis mentem componerent, ab eruditionis aliquo Antiſtite pendere, cujus æquè caſtigationes amplecti fixum erat. bona fide Hermophile, vide quam candidè tecum agam. potuiſſem hic, ſi neſcis, meritò ambitionis crimine te perſtringere. nolui. & tamen quotuſquiſque hoc non facit? ſola ſcilicet ego me ſimplicitate tueor, quæ etiam cum aculeo petit, dolet. V-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

nicum adhuc in cauſa tuâ me macerat, quod tot tantisque ingenii dotibus inſtructus, vix uno alterove auditore tibi placeas; niſi quod ſenex pater ternarium aliquando numerum includat; magno mehercle beneficio tuo: dum domeſtica commendatione prætereuntes ad ſacra tua invitantur. hoc ævum eſſe! pœne addam, viros doctos hoc ævo eſſe! ferendum eſt Hermophile, ferendum eſt, quidquid dederit illa valentiſſima dearum. malè res humanas novit, qui rationem in his talibus appendit potius, quàm fortunam. ita nimirum olim Græculus tuus judica-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

dicare, cum ſe præſentia hominum deſtitutum videret. quid enim ille? Sat pauci, dicere, ſat unus, ſat nullus. o integritatem! animi fortitudinem! hunc tu, ſi ſapis, jmitare, & volentibus magnis Dis omne punctum feres.

Pag. 33. *lin.* 17. *Ergo Die puer)* Quis unquam hominum tam fuit inſulſus, qui Doctorem *puerum* vocavit. Puer es Hermophile.

Pag. 49. *lin.* 5. *Cava manu poma legit)* Ita pag. 45. *ſuo aratro ſulcavit agrum alienũ,* pag. 46. *ingreſſus eſt ſemitam ſibi præparatam.* pag. 84. *ſe in me rejecit.* o ferreum, o impudens os! Quam in iſtis

eſt diſertus & varius noſter Hermophilus! Nimirum Tautologiam odit & in his pręcipue. Venerea ſunt & à Veneris Nepotulo profecta, Veneris etiam marito, id eſt, Vulcano tradenda. Video ad quid proclive ſit tuum ingenium, Hermophile. *Loquere ut te videam* dicebat Socrates. Dabo cõſilium & materiam, in qua latiſſimus campus ſe pandit exercendæ huic tuæ induſtriæ. Caſpar Barthius Vir longè eruditiſſimus, & ſtupendæ lectionis, Commentariũ de *Verbis Veneris* oppido pene affectum in armariis habere ſe teſtatur Anim. adverſionibus ad Claudia-
um.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

num. Morte autem præventus publico non dedit. Tu abſolve. Aut, ſi hoc non placet, poſt Caſperem Scoppium in Priapeia ſpicas lege. Ita Lenonum, ita Lenarum res & verba ad unguem tenes; tamquam Pornoboſcodidaſcalus.

Pag. 141. *lin.* 2. *Poetas à divino Platone*] Non legiſti Platonem, Hermophile. Injuriam ipſi facis, & alienam mentem à tua mente adfingis. Plato certe eam Poeſin admittebat, quæ in ſimplici imitatione, & quidem factorum, & dictorum, gravium atque honeſtorum virorum conſiſtit. Poetam autem non tam jucundum volebat quã

uti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

utilem, qui ad virtutem ipſe compoſitus cives ad hanc ipſam amplectendam hortaretur. Alios autem, quales tu & tui ſimiles, quorum ſcriptis aut ad mortem fortiter pro patria ſuſtinendam remiſſi & inepti, aut a virtute ad laſciviam & ſcelera cives trahebantur; Eos tamquam publicas peſtes & maculas extra civitatem ſuam expelli juſſit. Vide Divinum Dialogiſtam pluribus diſſerentem Dial. III. de Repub. Beſſarionem Apolog. Fabrum Hecatonnolog. Gramia, & ſparſim alios. Gratulor autem tibi, Hermophile, quod extra Platonicam vivas Rempub. alioquin ob

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

ob laſciviam, quæ in vita ſcriptiſque tuis comparet, exſilio eſſes mulctandus.

Pag. 51. *lin.* 5. *ingrediebatur Lupanar*) Imprudens homo ut es, qui tantum leporibus indulges, necdum didiciſti à magnis viris optimâ ratione Theologos in tali ſcripto præteriri? præſertim vero hoc tempore, quo ſanctiſſimus ille ordo etiam à proletaria multitudine proſcinditur. profecto hæc invidiæ augendæ ſunt. prius, uti credo, horologia conſiſtent, quam tu âliquid cum judicio agas. adeo prurigo ſcribendi te inceſſit. Equidem illud veriſſimum cenſeo, ſi quo debemus amore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

proſequimur pios Dei ſervos, læſa ipſorum exiſtimatione vocē extorqueri poſſe vel obſtinatiſſimi ſilentii hominibus. præſertim vero, quod ipſa ſalus publica labaſcat, ubi eorum concutitur auctoritas. ah! quam longè abit iſte impetendi mos, non dicam à Chriſtiana charitate, ſed ab æquitate etiam illa, quam multi in gentibus habuere? quid de te tuique ſimilibus dicam? Iobi illud: *Scilicet vos populus eſtis, vobiſcum moritura eſt ſapientia.* nam medius fidius quid aliud hoc agere eſt, quam è vita hominum religionem tollere? hæc eorum merces eſt, qui pro ſa-
lute

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

ſlute noſtra excubant? hæc eorum doctrina, quos virtutum magiſtros ſuſpicimus? publicè bene meritos traducere, hoc demum ingenio uti eſt? o tempora! o mores! quam, quæſo, præſtitiſſet tibi Hermophile hoc curare diligenter

ὅ, ττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

Ecquid forte domi fiat pravumve bonumve?

Spartam nactus es. eam orna. quid tibi cum Theologis? ſunt fateor, vibices etjam, atque maculæ tanti ordinis, ſed num hoc novum? hiſtorias eccleſiaſticas revolvent: ſatis apparet, non eſſe propria huius ſæculi mala

 quæ

quæ nos premunt. vetera ſunt, imo perpetua, & quæ prius reciſa ſemper repullulant. ipſe Apoſtolorum cœtus ingens ſcelus intra ſe habuit. quid ergo adeo declamandum in illum, quem hic taxas? quanquam nec tum ille in miniſterio fuerit; & an poſtmodum, valde dubito. Deus tibi, Hermophile mentem ſaniorem duit.

Pag. 142. *lin.* 2. *judiciis refragari non ſuſtinui*) Et fallis, & falleris Hermophile. Profeſſionem tuam tanto opere ambiviſti, ut neceſſe non fuerit invito illam obtrudi. omnem lapidem moviſti. Nemo neſcit.

Pag. 164. *lin.* 12. *Præſtat te*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

te rudibus Magiſtris]Scio ego ubi calceus tuus te premat. Magiſtrorum acumen, quod te ſæpius pungit, heic dilaudarem, niſi tu ſæpius eſſes expertus. Certe ſolida eorum eruditio publicis contra te diſputationibus ſatis ſuperque innotuit. Illa longe eſt ſupra tuam invidiam.

Pag. 169. *lin.* 8. *Hoc putat Hirceras*) hic ſuccus loliginis eſt, hęc mera ærugo. Gygis jam tibi annulum optem Boxhorn-Zueri, ut pro tempore curioſitatem hujus evites. adeo in iis, quæ ad te ſpectant, lynceus eſt. quæ hęc audacia, aliorum famam libellis proſcindere? abi domum Hermophile, & licto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

rem ſiſte, ne omnis pro culpa ſupellex efferatur. nam quam ego libertatem ſumo, ex lege talionis mihi vindico. amicus ſum. Amicum defendo: ne ſuccenſeas. tu eum non clanculum, ſed quaſi vi & impreſſione everſum is. omnes latebras perveſtigat malignitas, & ingenioſa eſt ad fingendum crimen. ſed quid, obſecro, demũ vitio das? criſin tractat. o ſcelus omni ſuppliciorum genere delendum! habes Hermophile, quod accuſatori optimum eſt, confitentem reum: ſed ita tamen confitentem, ſe in ea parte eſſe, qua te, qua viros omni laude dignos alios complures. te-

ſtes ſunt acuminis tui tot
hic verborum Etymologiæ,
quas ne Chryſippus quidem
pater intelligat. major in
noſtro vigor: major ſucceſ-
ſus. omnia in ipſo ad doctri-
nam commoda: nil proter-
vum, vitam privatam agit,
literas humaniores ex fide,
& ſupra quam fert præſens
ætas, exercet. juvenis Her-
cle portentoſi ingenii, quem
ut ſcio, difficillimum eſt lau-
dare; quia ut merito lauda-
tur, ita ſatis non poteſt. acre
in eo judicium, vaſta memo-
ria, &, quod caput rei eſt,
conſummatiſſimæ eruditio-
nis mens capax. Equidem
multum ego mihi gratulor,
quod intra menſem abhinc
 unum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

unum atque alterum, quas virtutes ſemper admiratus eram, teſtis jam earum ac perpetuus ſpectator fuerim. nihil tetricum in vultu, nihil in congreſſu aſperum. magna hæc quidem, ſed quanti ęcaſtor, illa ęſtimanda? trium linguarum exquiſita cognitio, antiquitatis rerumque abſtruſarum intelligentia, & totius hiſtorię totiuſq; Philoſophiæ notitia. brevi, quod ſpero, opera Philologica Fulgentii emendata, Amphitheatrum Vrbium & Comitatus Hollandiæ, cum figuris æneis: Chronicō Gervaſii Ricoboldi Ferrarienſis, beneficio literarum ocelli Petri Scriverii, alterum Ptolomei

Lucen-

Lucenſis, eruditionis orbi donabit. Deus ipſum à calumniis, ab invidia liberet. mentem conſtantem, vitam longam duit.

Hæc veluti ad clepſydram præſtolante Typographo ſcripſi. Reliqua ſuo tempore. Nomen ſi quis deſideret, reſpondeo cum Salviano; Quod tam imbecilla ſint judicia huius temporis & pene tam nulla, ut hi qui legunt, non tam conſiderent quid legant, quam cujus legant: nec tam dictionis vim atque virtutem, quam dictatoris cogitent dignitatem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

EPIGRAMMATA.

I.

QVò ſpectanda Patrum pietas, & priſca receſſit
Relligio puræ ſimplicitatis amans?
Quo virtutis honos tantum ſuſpectus avito
Tempore? quo veteres, ſed ſine felle, ſales?
Vſque adeo hæc ætas crimen meditatur, & optat
Fractam luxuries irrequieta fidem.
Præ foribus ſtat blanda Venus: Iuvenumque laceſſit
Blanditiis animos ingenioſa ſuis.
Peſſima ſunt ſæcli contagia, tot malè ſanos
Inter, & ægrotos qui valet, ille valet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

II.

NUper ut Hermophilum Patriæ
videt Accola Rheni
Tityrus, ingenuos fertur
amaſſe jocos:
Et mea ſi tali gracilis, dixiſſe, Ly-
coris,
Aut matura beet ſe Galatea
viro!
Non ſunt improba vota. ſed an Ce-
phiſius iſte,
Mentitam poſcit, quam putat
eſſe, Deam?
Vel Zephyrus Chlorin, Boreas vo-
cat Orithÿam?
Jupiter Alcmenen Taygetamque
ſalax?
Hippolytus Phædram ſequitur?
fratremque Canaces,
Perditus Hypſipyles Iaſona fran-
git amor?

Om-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]

Omnia mentitur, dubius ſibi: verus in uno,
Quod Veneri civem credidit eſſe ſuum.

Errata, quæ feſtinantibus admodū Typographis commiſſa nonnulla ſunt, corrigat per ſe æquus Lector.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 N 32 [2]